

Heinrich Schuckmann    Johann Haxthausen von

## **Disputatio Iuridica Cum De VI Publica Et Privata Tum Pace Imperii Prophana Et Religionis**

[Rostock]: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731858646>


Druck    Freier  Zugang



Öffentliche und private Recht

H. Schuckmann (J. v. Harthausen) <sup>Vert.</sup> / 6

R. U. iii 1644.



14  
DISPUTATIO JURIDICA  
CUM DE  
VI PUBLICA ET  
PRIVATA TUM PACE IM-  
PERII PROPHANA ET  
RELIGIONIS.

*Quam*  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
*Sub Praesidio*

*Viri Amplissimi, Clarissimi, ac Consultissimi*  
DN. HEINRICI SCHÜCKMAN,

Jcti Celeberrimi Professoris Codicis Publici  
Dn. Praeceptoris ac Fautoris sui plurimum  
honorandi colendi

*Publicae disquisitioni subjicit* *Hexthausen*  
JOHAN ab HARTSHUSEN  
Nobil. Westph. Aut. & Resp.

ROSTOCHII,  
*In Auditorio Majori horis anteme-*  
*ridianis die 19. Octobr.*

Anno 1644.



Typis NICOLAI KILII, Academiae  
Typographi.





ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
COMITI AC DOMINO,  
DN. ANTHONIO  
GVNTHERO,  
Comiti in Oldenburg/ & Delmenhorst/  
Dynastæ in Jävern/ & Kniphausen/  
Domino meo Clementissimo.

*ut &*  
NOBILISSIMO ET STRENUO VIRO  
DN. HEINRICO AB Haxthausen/  
Patri meo Amantissimo ac Honorando.

ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME  
Comes Domine Clementissime, postquam à paren-  
te charissimo studiorum causa ad Academias amandatus,  
nunc autem revocatus patriam repeto, gratiosi tuae Illustris Ge-  
nerositatis animi, & beneficiorum patri meo ubertim exhibito-  
rum memoria me ditiones tuas transcuntem, stimulavit autem  
longè latèq. famosissimam, unde invidia, emulatio impietas raro  
exemplo exulant, invisere. Verum enim vero, cum subditis  
Per his Regem suam vacuâ manu accedere nefas fuerit adeo ut ex  
imorum tuguriolo prodiens pauperculus quidam cui nulla essent  
dona REGI exhibenda, volam aqua pro sua facultate (sufficiens  
iudicium animi Regis sui amantissimi adferret: Et ego Illustris  
Generositatis tue manus humiliter devotèq. exosculaturus ad-  
veniam; Sic instructum esse me oportere existimavi, quò Tue

A 2

Ch.

Clementia de meo à parente Generositatis tuae addictissimo ser-  
vo non degeneranti animo, saltem constet, paterno cuius du-  
ctu summis Heroibus & tibi cum primis qui inserviam dignus  
feri nunquam non desideravi. Igitur Illustris Generositatis  
Tuae benigno ac Clementi erga clientes affectu, à parente nun-  
quam satis decantando animosior, ad pedes tuos humiliter depono  
& exhibeo disputationem hanc de vi publicâ & privatâ maxi-  
mam partem LL. pacis publicae Imperij delineantem, partim stu-  
diorum meorum, indignum quidem susceptore, dignissimo tamen  
cui licetur: Quippe qui in hoc ab hinc quatuor & viginti an-  
nis deplorato & gemendo rerum statu, instar prudentis naucle-  
ri tempestates effugientis, tuarum disionum gubernacula sic  
direxisti, ut omni tempore horum cum civilium, tum extero-  
rum bellorum scopulos, quos nulli Statuum, nec Electoribus,  
nec ipsi Imperatori evitare licuit, DE I gratiâ declina-  
veris; Tu ad similitudinem arboris, ab injuriâ procellofi venti,  
domum vindicantis, pro subditis tuis hem felicibus! omnem mi-  
litia turbinem excepisti, & à vastationibus, rapinis, exustionibus,  
agrorum depopulationibus, concussionibus, quas alij, ad interitum  
experti, immunes constituisti; Tibi, brevibus, beatâ tuorum  
salute nihil potius est. Ob hanc itaq; causam Generosissime Co-  
mes, Domine Clementissime, patere & me tibi studere, quod  
omnes, quibus tui est notitia, in votis habent, & clementer acci-  
pere dignare hoc quicquid est meorum studiorum, quo mihi locum  
in ordine clientum tuorum submissâ commendatione aperire in-  
tendo. Caterùm DEUM misericordissimum veneror, ut Te,  
Generosissime Comes, ad solatium & patrocinium tuorum subdi-  
torum, sub quo non secus ac sub ramosâ arbore in utraq; au-  
rem securi quiescunt, & in totius publicum Imperij bonum pro  
omnium voto quam diutissimè incolumem praestet: DEUS  
Trinunus annuat precibus meis; Et Illustris Generositas Tua  
sua gratia clementissimè commendatum me habeat, quod ubi  
9b1-

obtinuero, est quod felicitati meae gratuler, & Tua Illustri Generositati ad omnem subjectionem me devotissimum humiliter devoteq; profitebor.

Hinc converto me ad te Pater Nobilissime, Amantissime, & Honorande, quanquam studiis meis, quibus me destinasti, scopum ad quem collimaveram, attingisse me optarem, interim cum currentem subsistere iubeas, ad voluntatem tuam me compono & paternorum officiorum in me collatorum semper memor, gratitudinis, imo filialis obsequij tesseram hac mea disputationis dedicatione offero; Ecce animum meum ad omnia obsequia tibi Patri paratissimum: Tu me paterno affectu porro amplecti non desinas, hoc desidero, hoc à te peto, & amplius demereri sine intermissione studebo.

Illustr. Tuæ Generosit.

ET

T. Nobiliss. Srenuit.  
Respective

Devotissimus cliens  
filius obedientiss.

JOHANN von HARTH usen

13

10



*In honorem Nobilissimi*

**DN. RESPONDENTIS.**

**L**egibus Imperij salvis, Pax publica floret;  
Ast his perruptis bella cruenta tonant.  
Quod docet egregie tua Dissertatio præsens,  
Cui decus ingenij nobilioris inest.  
Publica Pax redeat, voveo, temerata tot annos,  
Legibus & Pacis stet sua ritè fides.

*Votum hoc adjiciebat*

**Heinrich Schuckman / D.**

Disputationis hujus

PRÆSES.

**S**plendida fumosis niteant licet atria ceris,  
Portus & innumeris nobilitatus avis.  
Sola tamen virtus (gemina & virtutibus artes)  
Ditat, & armata Palladis unus amor.  
Sic sua cultores semper monumenta sequuntur,  
Illa vel aeterno non moritura die.  
Sic te summorum quem nobile nomen avorum  
Et quem Castalia concomitantur opes  
Fama perennanti vectat super aethera curru  
Et laudes proprias charta perennat anus.  
Priva tibi fueris, fuerit vis publica testis,  
Oscen & est felix nominis autor, olor.

Gratulabundi

**COMMENSALIS**

deproperabant.

**THE-**

THESES I.



Uoniam bono & gravi Præfidi congruit curare, ut pacata atq; quieta sit provincia *l. 13. de offic. præsid.* Et Imperialem decet solertiam ita reipublicæ curam gerere subditorumq; commoda investigare ut regni incorrupta persistat utilitas, & singulorum status jugiter seruetur illæsus *2. Feud. tit. 55 princ.* Itaq; ad publicam tranquillitatem tuendam olim violentia ex LL. Majestatis & de sicarius fuit vindicata, aliis atq; aliis postea LL. latis, ut L. Plautiâ, Clodia, apud Rosinum *antiquitat. Roman. lib. 8. cap. 27.* Donec quod his deesset, legesfforum & Codic. ad L. Juliam de vi publicâ & privatâ, tum constitutio Imperialis der *Königliche Landfried* sub Maximiliano primo zu *Wormbs auffgerichtet* supplerent.

II. His LL. quæ cohibetur vis, est necessitas publicæ & privatæ tranquillitati contraria, & majoris rei impetus qui repelli non potest. *l. 1. §. 2. ff. quod met. caus.* Quando quis contra quàm prohibetur quid facit, secundum Quint. Mutium *in l. 1. §. 5. ff. quod vi aut clam.* quam definitionem Ulpianus ibidem plenam dicit.

III. Multa verò facinora sub uno violentiæ nomine continentur *l. 6. C. ad L. Jul. h. t.* Quare violentia est vel facti vel consensus quippe voluntas omnium actionum principium, est vel facientis vel approbantis. *Hornet. philosoph. moral. l. 3. cap. 4. num. 26.* Et violentia facientis secundum juris interpretes est quadruplex: Alia enim compulsiva est, quæ vindicatur edicto Prætoris quod metus causâ: Alia expulsiva, interdicto unde vi. Alia ablativa actione vi bonorum raptorum: Alia turbativa interdicto uti possidetis compefcitur. Commune verò remedium contra vim paratum est ex L. Jul. de vi publicâ & privatâ. *Bachov. ad Institut. de interd. §. 5. num. 1. 2.* Quicquid enim per vim fit, id aut in vis publicæ aut privatæ crimen incidit *l. 152. pris. ff. de R. J.* Nec debet publico iudicio privatâ actione præjudicari. *l. 2. §. 1. ff. vi boner. raptor.*

IV. Vis

IV. Vis publica fit vel armis vel sine armis §. 8. *Inst. de pub. judic.*  
 Hæc quæ fit sine armis rurius differt objecto, prout publica securitas  
 læditur immediatè vel mediatè; Illo modo ut si quis concitet seditionem  
 vel turbas l. 3. in princip. l. 5. in princip. ff. ad L. J. de vi public. argum.  
 tot. tit. C. de sediciosis & de huius qui plebem contra rempublicam audent  
 colligere. constitut. Carol. arsic. 127. aur. bull. tit. 15. Si quis dolo ma-  
 lo fecerit quò minùs judicia totò exerceantur. l. 10. in princip. ff. ad L.  
 Jul. h. t. Si quis nova vectigalia exerceat l. ult. ff. ad L. Jul. h. t. aut  
 instituat l. unic. §. 3. ff. de L. Jul. ambit. inconsultis Principibus l. 3.  
 C. vectigal. nov. instit. sine Imperatorum præcepto præcedentia refor-  
 met, his addat vel diminuat. l. 10. ff. de public. & vectig. Et suffragio  
 Septemvirorum Recept. anno 1576. §. Weiter seynd tit. 21. capitulat. Im-  
 peratoris Ferdinand. II. apud Reimking. de Regimin. secul. & ecclesiast.  
 lib. 1. class. 3. cap. 9. num. 77. Nec ex antiqua consuetudine vectigalia  
 profligat l. 13. §. 1. ff. de pollicitat. l. 4. §. 2. ff. de public. & vectigal. Sed  
 ultra antiquam consuetudinem & terminos Imperialis iussionis excuti-  
 at. l. 4. C. vectigal. nov. instit. Pertinet enim jus vectigalium ad supe-  
 rioritatem & reservata summi Principis: Et si alii de eo liberè pro arbi-  
 trio disponendi facultatem sibi sumant, futurum esset, ut multa in-  
 convenientiæ nimirum caritas, tumultus, seditiones inde oriantur *allegat.*  
*Recept. 1576. §. dadurch dan.*

V. Mediatè vis publica sine armis in rempublicam committitur in-  
 terveniente aliquâ personâ cui atrox injuria infertur, omne enim quod  
 non jure fit injuriâ fieri dicitur l. 1. in princ. ff. de injur. Idque tripliciter  
 contingit: Vel infertur à personâ publicâ, ut si imperium potestatemve  
 habens civem Romanum adversus provocationem necaverit, verbera-  
 verit, torseritve l. 7. ff. h. t. Vel à quovis personæ publicæ, ut si lega-  
 tos oratores comitesve eorum quis læserit. l. ead. in fin. legatum scil.  
 Imperatoris id est præsidem provinciæ legatum provinciale l. 12. ff. de  
 accusat. sub quibus quivis magistratus intelliguntur *Bachov. ad Inst. de*  
*public. judic. §. ult. num. 2.* Alias neminem nisi absolutam potestatem  
 habentem jure legatorum gaudere. *Arnise. de jur. Majest. lib. 2. cap. 5.*  
*num. 16.* refert ex communi politicorum sententiâ: Et his violatores  
 ad puniendum pro arbitrio deduntur. l. ult. ff. de legation. Vel à quovis  
 cuivis, ut si quis convocatis hominibus vim fecerit quo quis verberetur,  
 pulsetur, licet homo occisus non sit. l. 10. §. 1. ff. A. L. Jul. h. t. Si quis

ex incendio rapuerit aliquid *l. 3. §. 4. ff. ad L. Jul. b. t. l. 1. ff. de incendi.*  
Si quis hominem dolo malo incluserit, obsederit, feceritve quominus  
sepeliatur, sepulchrum violetur, quo magis funus diripiatur, *l. 1. in  
prin. ff. ad L. Jul. b. t. l. 1. §. ff. de sepulc. violat.* Si quis foeminam vel quem-  
quam per vim stupraverit. *l. 3. §. 4. ff. ad L. Jul. b. t.* Si quis puerum in  
genuum, aut mulierem vacantem vel nuptam rapuerit *l. 1. §. 2. l. 6. ff.  
ad L. Jul. b. t. l. 3. C. eod.* Si quis per vim sibi aliquem obligaverit, *dict.  
l. 1. §. prin. c. p.* pecuniarave per injuriam privatim exegerit *l. 10. ff. eod.*

VI. Vim publicam quæ sit armis committens non solum peccat  
violentia sed insuper etiam modo excedit, quia eorum usus publicus  
est Nam quandoquidem omnis violentia sit prohibita, in primis arma-  
tam II. Prohibitam volunt, utpote vim periculosiorem quam Justini-  
anus in *Novell. 15. cap. 1. in princip.* mortem hominum dicit; Quare ut  
huic mederentur Imperatores sanxerunt ut nulli privatorum aut alio-  
rum quorum liber in ullâ Reipublicæ civitate aut provincia arma facere,  
aut vendere, aut quolibet mercari modo liceat. *dict. Novell. cap. 3.*  
Nedum ut ulli quorumlibet armorum movendorum copia in scio prin-  
cipe tribuatur *l. unic. C. ut armor. usus.* Imo ut ulla violentia iisdem a-  
licui inferatur. *ff. C. h. s. Constit. Imperiali der Kaysersliche Landes-  
friebe zu Augspurg anno 1548. tit. 1.*

VII. Hodie novissimis constitutionibus Reformatione guree Wo-  
ltzen zu Augspurg anno 1530. *tit. das büchsen zu Ross vnd Fuß nicht sol-  
len geföhret noch gerragen werden* privatis bombardas & sclopeta ad  
sui defensionem exercitationem (als dan gemeinlich in den Städtien ge-  
breuchlich) *dict. tit. pacifragorum persecutionem & actrenationis usum,*  
quibus jus venandi est, possidere conceditur. Nec nisi peregre profi-  
ciscentes eadem portare prohibentur *dict. l. 1. §. 1.* Quamquam enim LL  
Romanarum non sit vilis autoritas: tamen non adeo vim suam exten-  
dunt ut usum vincant aut mores. 2. *Feud. tit. 1.* Ex quâ consuetudine  
Doctores & studiosi aliiq; Juvenes 17. vel 18. annorum sibi jus gladios ge-  
standi usurpant. *Just. Mejer. in colleg. Argemior. b. t. tbf. 3. num. 4.* Nobi-  
les utiq; tamen si omnes prohibeantur, gladios & arma jure gestant; licet  
Arnisaus neget *de jur. majestat lib. 2. cap. 5. num. 6.* propter allegata jura  
in *tbf. proximè precedenti* & § si quis rusticus 2. *Feud. de pac. tenend. ubi*  
cum glos. per rusticum intelligit quemlibet ruri habitantem. Cum rusti-  
cus in § precedenti nulli ut seu nobili opponatur. Nobiles enim quo-

B

modo

modo onus militiæ feudo annexum nisi armati præstabant? Præsertim cum armis, scilicet hastâ vel alio armorum genere à capitaneis majoribus investiantur 2. *Feud. tit. 2.* quemadmodum Capitanei majores vezillo. *Römischer Königlischer Mayestät Regiment zu Wormbs anno 1521. auffgerichte Sünd behalten vnß bevor.* Veteri alioquin Germanorum more, publicâ autoritate Nobiles Juvenes ab aliquo Principum, vel patre, vel propinquis in concilio scuto frameâq; ornabantur: Hæc apud illos toga hic primus juventæ honos inquit Tacit: *de morib Germ.* Qui mos nec dum inolevit. Dum in aulis Nobilibus Juvenibus semel atq; iterum colaphizatis & quando armis sufficere probantur, ab omni servili animo liberis pronuntiat, gladius ad defensionem sui ipsius, patriæ, omniumq; ærumnosorum à manu ipsorum principum demandatur & traditur, quod vocant idiomate Germanico *Verhafftig machen.* Cum itaq; in Regno secundum Sigismundi Regis Poloniae effatum *aqud Limn. de jur. publ. lib. 6. cap. 5.* tria sint subditorum genera: Rustici, qui agrum colunt, Mercatores, qui necessaria important & exportant, Nobiles, quorum proprium Reges & patriam defendere, quod absq; armis fieri nequit, & horum defensio semper necessaria, jus armorum his etiamsi cæteris omnibus adimi nequit. Ut præteream jus meri & mixti Imperij, quo in suos etiam subditos gaudent; tum quod Majestati, penes quam non tam possessio quam potestas & arbitrium armorum est, nihil derogat, etiamsi omnes subditi essent armati.

VIII. Armatos non intelligere debemus eos solum qui tela haberint, sed etiam eos qui habent, aliud quod nocere potest, *l. 9. ff. ad L. J. h. t.* Telorum enim appellatione omnia ex quibus singuli homines nocere possunt accipiuntur. *l. 11. §. 1. ff. eod. §. 5. versic. telum Inst. de publ. judic. l. 233. §. 2. ff. de V. S.* Sic arma sunt non solum gladij, hastæ, frameæ, sed etiam fustes & lapides *l. 3. §. 2. ff. de vi & vi armat §. 6. versic. armorum Inst. de interd.* Propriè tamen armorum appellatione veniunt ea, quæ principaliter ad offendendum vel defendendum fabricata sunt *Gail. de Pac. publ. lib. 1. cap. 7. num. 6.* His L. Juliae rei fiunt, qui ea domi suæ agrove vel in villâ coegit. *l. 1. ff. ad L. J. h. t.* Qui pubes cum iisdem in publico fuerit, *l. 3. §. 1. ff. eod.* Qui cum telo malo in concione, vel ubi publicum judicium exercetur, fuerit *l. 1. o eod.* Qui convocato cœtu, concursu, seditione ædes alienas aut villas expilaverit, effregerit, expugnaverit, & cum telo armisq; bona diripuerit incendi-

umve

umve fecerit. *l. 3. §. 2. l. ii. princip. ff. ad L. Jul. eod.* Qui in incendio gladio seu relo rapiendi causâ adfuerit, vel prohibendi dominum suas res servare *l. 3. §. 5. ff. h. t.* Qui hominibus armatis possessorem domo, agro ve suo, aut navi dejecerit, utve id fieret homines commodaverit. *l. 3. §. ult. ff. eod. & l. seq. §. 6. Inst. de Interdict.*

IX. Omnes hujusmodi vim publicam committentes criminis L. Jul. accusari possunt. *tot. tit. ff. ad Jul. de vi publ.* etiam servi. *l. 4. C. eod.* apud Præsidentem *l. 3. & 4. in fin. C. eod.* iisq; damnatis, aquâ & igni inter dicitur. *l. 10. §. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ.* vel deportantur *l. 2. §. constat. ff. de pœn. §. 8. Instit. de publ. judic.* Interim, quia hodie extra ordinem de criminibus cognoscitur *l. 8. ff. eod.* pro atrocitate delicti modò gravior modo levior pœna irrogatur & sententia fertur *l. hodie 13. ff. de pœn.* Nam pœna commensuranda est delicto, & qui gravius peccat gravius puniri debet. *Gail. de P. P. lib. 1. cap. 5. num. 18.* Igitur qui ex tumultu causam cædis præbuerit, ultimo supplicio afficitur. *l. 6. C. ad L. Jul. h. t.* Seditionem facientes fustium cæssione, aut exilio, aut capitis pœnâ mulctantur. *l. 28. §. 3. l. 38. §. 2. ff. de pœn. constit. Carolin. artic. 137.* Latrones famosi *allegat. l. 28. §. 15. dict. const. artic. 137.* Violatorem virginum aliarumq; honestarum matronarum *artic. 119.* Grassatores, aggressores, spoliatores, publicæ quietis turbatores, qui *Sandtschwinger* dicuntur *Re. eff. de anno 1555. §. wtr. sehen ordnen / hi in l. 28. §. 10. ff. de pœn. artic. 129. 128.* capitis damnantur. Sic privatio cinguli: & post condemnationem 100. librarum auri, salutis vitæq; periculum ejus qui armatos homines habuerit pœna est. *l. ultima C. h. t.* Et judex gravi infamiâ notatur: Si violentiæ crimen apud se probatum distulerit, omiserit, vel impunitate donaverit, vel molliorem, quàm præstituta pœnam protulerit. *l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. & privat.*

X. Contraria juxta se posita quia magis elucescunt, & eorum uno, cognito, facile est de altero judicatu, breviter etiam videamus L. Jul. de vi publica qui rei non fiant. Nimirum in genere, qui armis rectè utuntur, nec abutuntur. *supra allegat. reformat. tot. tit. das büchsen &c.* ibi ein schädlicher Mißbr auch auffgewachsen: Ut qui in venationis usum, vel itineris faciendi, navigandi, aut promercij causâ, aut hereditate ei obventa arma habuerit. *l. 1. 2. ff. ad L. Jul. de vi pub.* Si quis propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent. *l. 10. ff. eod.* Si quis telum salutis suæ tutandæ causâ gesserit *l. ii. §. ult. ff. eod.* Ut si

mercator negotiandi causâ per provinciam pertransiens gladium super  
vehiculum suum ponat, ut à prædone se defendat §. 4. *versic. mercator.*  
2. *Feud. tit. 27.* aliàs magistratus est prospicere, ut cuilibet liceat esse  
tranquilla vitæ: Nec hac L. tenetur, si quis vim vi arma armis repellat.  
l. 1. §. 27. l. 3. §. 9 ff. *de vi & vi armat.* Vel consensu summi principis  
suo suorumve hosti aliamve ob justam causam bellum infert. *Constit.*  
*Carol. artic. 129.* Hinc assero hominem privatum etiam non militem,  
qui hostem publicum dolo vel virtute concusserit, ullumve damnum  
ei intulerit, vim non committere, adeoq; pœnâ dignum non esse. Ho-  
stis enim publicus cuiq; etiam privatus hostis intelligitur. *argum. Const.*  
*Carol. artic. 129.* E contra privatus à privato ad duellum provocatus,  
vim vi non repellit, adeoq; alterum interficiens reus est L. Cornel de  
Sicar.

XI. Utiq; qui pacem Reipublicæ turbat & frangit, quia vim pu-  
blicam facit *Bach. ad Treutl. 2. disp. 32. ths 4. lit. C.* Et quia omnis  
fracta pax est vis publica *Gail. 1. observ. 3. num. 2. in fin.* Constitutio  
Imperialis de Pace P. der Religion vnd Prophanfriede huc pertinet;  
Nec L. Julia per hanc sublata, ut vult *Treutl. 2. disp. 25. th. 6. lit. A.*  
Non enim omnis vis publica est fracta pax. *Gail. de PP. 1. cap. 5. num. 23.*  
Et quia crimine vis publicæ minùs quàm fractæ pacis, publica tranquil-  
litas turbatur, gradu videntur differre, considerando tantò majoris,  
periculum æstimandum, quanto intervallo privatus & mediatas, cujus  
vana est sine viribus ira *Gail. de P. P. lib. 1. cap. 7. num. 23.* ab immediato  
Imperij subdito & statu dignitate, & potentiâ distat: Nam si privatam  
vindictam divina & humana jura propterea prorsus sublatam volue-  
runt, ne ut inter bestias quò quis potentior eò plus juris oppressio imbe-  
cillo quoq; sibi sumat; neve plus vindictæ inferatur, quàm peccatum  
mereatur, ut est sui impotens ira, & suarum injuriarum iniqua æstima-  
trix: Multò magis privata bella convenit interdicta esse l. 3. ff. *ad L. Ju-  
liam Majest.* ubi non semper justa, causa vincit, nec vindictæ ullus mo-  
dus statui potest. Et quòd bellorum vis non minùs ad innoxios, quàm  
noxios extenditur. *Arnisa. de jur. majest. lib. 2. cap. 4. num. 11.* Et *pau-  
lo post,* quia Majestas Imperatoria hac ratione gravissimè læditur, quan-  
do jus vindicandi aut puniendi, quod ipsi debetur, Status sibi sumit, &  
quasi superiorem non habeat, cui injuriam suam exponere possit, pro-  
priâ autoritate ad ulciscendum festinat.

XII. Qua-

XII. Quare postquam à morte Friderici I. Barbarossæ, neglectâ optimâ ejus constitutione de pace tenendâ posteriorum Imperatorum conniventâ ac incuriâ inprimis tempore interregnitrium & viginti annorum post Fridericum II. usq; ad Rudolphum I. quando maximâ in Germaniâ & Imperio turbæ fuerunt ( ut videre est in Chronologia Ludov. Gottfr. pag. 602 & 617. ubi refert dictum Imperatorem Rudolphum 60. prædonum arces in unâ Thuringia præter alias in Germaniâ quam plurimas, unde exrapti viventes atrociniâ exercuerunt diripuisse ac excidisse ) mala consuetudo invaluit, ut si quis aliquod jus de quacunq; re vel factò se habere putaret & judex Justitiâ facere negligeret, triduo ante factâ denuntiatione ex constit. Imperatoris Philippi II. apud Goldast const. Imper. tomo 3. p. 367. adversarium suum ferro & igne infestaret, jus suum in armis poneret, omnesq; in eum hostilitates exerceret zu der Zeit da das faustrecht im schwang gegangen Schonborn. lib. 2. politic. cap. 13. Sontepenult. Dein de ex hõc aliud malum pullularet; Nempe omisâ diffidatione sub quali quali prætextu alter alterum latronum more, invadebat hinc mare cælo miscebatur, & infanda mala oriebantur Quod, ne diffidatione ad extremum dilatâ, intempetive vel profus non intimatâ sese aggredereentur Carol. IV. in A. B. tit. 17. von absagen & Frid. III. In der Reformation zu Franckfurt de anno 1442. tit. daß niemand den andern beschädige sub prodicionis crimine & infamiæ pœnâ inhibuerunt, Donec Divus Maximilianus diffidationem Justitiæ adversam unâ cum abusu funditus tolleret, omnibus in Imperio hostilitatibus cujus cunq; autoris nominis & prætextus prohibitis universis Imperij subditis pacificè vivere, jus suum justo loco & judicio prosequi, jussis: der Königlische Landfried zu Wormbs anno 1495. auffgericht. tit. 1. & 2. Quæ constitutio utpote saluberrima ab insequentibus Imperatoribus sæpius renovata, & concordî statum suffragio variis cautelis interpolata ac aucta: Scilicet Augusta anno 1500. Colonia. 512. Wormar. 521. August. 548. ibid. 551. Ratib. 57. August. 559. Wormar. 564. August. 566. Spira. 570. Ratib. 576. ibid. 594.

XIII. Huic paci Imperij publicæ Imperatores & Status stipulato prospexerunt omnem violentiam apertam vel clandestinam in genere & in specie sive in prophanis, sive intuitu religionis gravissimis pœnis cum præscindendo tum optimis mediis tuendo.

XIV. Et constitutionis hujus violatæ qui arguuntur ij peccant vel

B 3

commit-

committendo vetita quibus publica tranquillitas & pax turbatur. Vel o-  
mittendo quæ ad publicam pacem tuendam jubentur. *Recess. de anno*  
*1594. §. Also ist auch in zweiffel. ibi, da einer omittendo oder committendo*  
*doch ohne eusserlichen offenen gewalt in die Peen &c. Ordin. Cam. part.*  
*2. tit. 9. §. so jemande.*

XV. Committendo contra constitutionem Imperij de pace pro-  
phanâ peccat qui vi publicâ atroci, armatâ manu coactis & coadunatis  
hominibus temere dolo malo *const. PP. anno 1548.* (quam in hac mate-  
ria allegaturi retinebimus) *tit. 1. ibi mit gewehrter Hand vnd Gewalti-*  
*ger thar freuendlich & Recess 1594. §. Also ist auch im zweiffel cum seq.*  
contra unum pluresve articulos pacis publicæ egerit feceritve aut agere  
facereve quid conatus fuerit *ordin. Cam. part. 2. tit. 9. §. 2.* In atrociori-  
bus enim delictis conatus pro effectu punitur, ut in crimine raptus *l. si*  
*quis. non dicam. rapere C. de episcop & cleric & in maleficiis voluntas non*  
*exitus spectatur l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Quinimo ipsa constitutio  
conatum perinde atq; effectum punit. *sub tit. 7. in princip. ibi oder zu-*  
*handeln vnter stehen würden* Huc etiam referuntur, qui ad æmulatio-  
nem Imperij in finibus ejus ædificia & munitiones extruunt nec ad de-  
nuntiationem novi operis destruunt, *l. opus novum ff. de operib. publ.*  
*Gail. lib. 1. de pac. publ. pub. cap. 2. num. 42.* Qui Romani Imperij Sta-  
tui aut clienti hostilitates indicit durch vchd vnd absagsbrieff / vel etiam  
litteras diffidationis scribit *Recess. 1594. §. dergleichen vnd dierweil.* Et in  
summâ omnes actiones quarum finis ad arma & seditionem Imperij  
spectat. *Gail. supr. allegat. loc.*

XVI. Contra pacem religionis (den Religionfrieden) committitur:  
Si Imperator vel aliquis Imperij Elector vel Princeps vel Status alterius  
Electoris vel Principis vel Imperij Status personam, vel ejus res vel bona  
propter Augustanz confessionis professionem, & vice versa Si Augusta-  
næ confessionis Princeps & Status Imperatorem vel aliquem Imperij E-  
lectorem, vel Principem, vel Statum ob religionis Catholicæ Romanæ  
professionem de facto quo ad res sive bona eorum turbet inquietetve  
*Recess. 1555. §. vnd damit solcher friedt cum seq.* non obstantibus quibus  
cunq; privilegiis fori, quibus illâ constitutione derogatum est, ut patet ex  
allegati recess. *SS. vnd sol alles.* Wir befehlen vnd gebieten. quâ pace re-  
ligionis etiam securi sunt Nobiles Imperij immediati *Recess. eod. §. vnd*  
*in*

in solchen Frieden. Sic quibus in Civitatibus liberis Imperialibus utraque religio Augustana & Romano Catholica in promiscuo usu fuerit earum cives & incolæ laici & ecclesiasti pacifice inter se vivant neuter alterum de religionis exercitio deturbet; sed liberum utro citroque religionis exercitium maneat. *Recess. eod. §. Nachdem aber* in. Subditis verò Cæsaris Ordinumque cum familiâ religionis causâ aliò si velint commigrandi bonaque alienandi est potestas *Recess. eod. §. wo aber vnsere.* Reliqui his duabus confessionibus non addicti, à pace religionis prorsus excluduntur *§. doch sollen alle Recess. eodem.*

